

§. XIII.

Ritus impositionis manuum quo Christo auctore in ordinem hierarchicum adleguntur homines, est sacramentum proprie dictum, quod et imprimis characterem.

I. Ordo est plurium rerum parium impariumve apta secundum aliquam rationem dispositio (Aug. De Civ. Dei L. XIX, c. 13. coll. lib. II. de Ordine). Hinc Hierarchia ecclesiastica, quae plures et diversos sibi cohaerentes habet gradus, dicta est ordo, et in comparatione cum simplicibus fidelibus vocata est ordo ecclesiasticus. Pari-ter quilibet ex his gradibus dictus est ordo, sic ordo episcoporum, presbyterorum, diaconorum; quae ratio loquendi in monumentis ecclesiasticis est frequentissima. Hinc ab effectu ad causam appellatione translata ordo a Theologis dictus est ille ritus quo quis in ordine aliquo constituitur, qui clarius dicitur *ordinatio*. Hierarchia *ἱερωῶν ἀρχῆ* principatus sacrorum est (ut colligit Petavius De Angelis L. II. c. 2. ex Dionysio et Maximo) gubernandorum sacrorum potestas et functio, quae quidem potestas eos quoque respicit qui per sacrorum administrationem perficiendi sunt. Multiplex simul et una sub diverso respectu potest esse hierarchia, si plures sint sacrae potestates uni tamen subordinatae, quae praeterea ceteras in se contineat. Sacrum quemdam principatum esse in Ecclesia ex praecedenti §. satis constat et magis nunc manifestum fiet eius essentia declarata, initio ducto a modo quo in hierarchiam homines adseiscuntur.

II. *Χειροθεσία* est impositio manus aut manuum. *Χειροτονία* est primo extensio manus aut manuum, quae fieri potest vel elevatione, ut in suffragiis ferendis, quod penes Atticos in usu erat (cf. Carolum Sigonium De repub. Atheniensium L. II.), unde et ad sacras quoque electiones in Ecclesia huiusmodi appellatio dimanavit; vel fieri potest protensione super aliquid. Hoc alterum intelligitur cum *χειροτονία* accipitur pro *χειροθεσία*. Huius meminit Lucas Act. VI. 6; XIII. 3; Paulus 1^a Tim. IV. 14; V. 22; 2^a Tim. I. 6: occurrit scilicet phrasim *τὰς χεῖρας ἐπιθέναι*, unde eadem vocatur *τῶν χειρῶν ἐπιθεσίς*: eademque vox et phrasim frequenter in ecclesiasticis monumentis apparet. Item *χειροτονία* occurrit in monumentis Ecclesiasticis pluribus, omnibusque ritualibus libris vel sacramentariis graecis, sic enim ibi appellatur quae dicitur a latinis *ordinatio*, penes quos inter ritus ordinationis terminus complexus occurrit *impositio manuum*, de qua canones citati carthaginienses loquuntur. Advertendum quod *impositio manuum*, *τῶν χειρῶν ἐπιθεσίς* etc. multiplex in Ecclesia fuit: facile tamen ea distinguitur,

quae pro ordinatione sacrorum ministrorum usurpatur. Nec volumus dicere quod ubicumque *χειροτονία* in christianis monumentis occurrit, accipienda sit pro *impositione manuum*; nam et primitivum sensum elevationis manus, seu potius suffragii lati seu *ψηφου* in electione identidem retinet: sic accipiendus videtur canon 5. Laodiceus; at in can. 4. nicaeno si impositionem manuum ordinatricem non significat, significet oportet suffragium *ψηφου* non postulantium sed decernentium ex auctoritate quo quis Episcopus constituitur, *καταστασιν* scilicet, quemadmodum forte *χειροτονεω* valet Act. XIV. 23. Cf. et 2. Cor. VIII. 19. Lege, si licet, Thesaurum Suicri ad h. v.

Cum ergo penes profanos sola electione magistratus crearentur, *χειροτονία* penes illos electionem tantummodo significabat; quia vero magistratus ecclesiastici non sola electione fiunt, sed ritu sacro et consecratione constituuntur, hinc usu Ecclesiastico *χειροτονία* huius quoque ritus significationem obtinuit, et est frequentissime consecratio *καθιερωσίς, τελεσιουργία*.

Iam vero certum est ritum constanter adhibitum pro initiandis seu consecrandis Sacerdotibus sacrisque ministris seu adlegendis hominibus in ordinem hierarchicum esse *χειροτονίαν* h. e. *χειροθεσίαν* seu impositionem manuum simul cum certa verborum formula. Testes huius continuae praxis sunt Apostolorum Canones, Clementis Constitutiones, Canones Carthaginienses citati, Dionysius De Eccles. Hierarch., omnes rituales graeci, atque latini, syri ceterarumque dissitarum sectarum usque ad nostra tempora. Omittimus nunc quaestionem an hic solus ritus olim usurpatus fuerit, solusque habitus sit semper necessarius; satis est modo quod semper et ab omnibus fuerit adhibitus. Ex quo eius origo apostolica manifesta est. Quod autem hic ritus Christo auctore adhibeatur liquebit ex eo quod demonstratur esse Sacramentum.

III. Demonstratio petitur ex Scripturis, absolviturque testimonio Traditionis. Testimonia ex Scripturis sunt 1^a Tim. IV, 14.; 2^a Tim. I. 6-7. Iam vero Sacramentum est ritus sensibilis efficax gratiae interioris sanctificantis. Non opus est addere quod talis sit ex divina institutione; nam ea patet evidenter si certa est efficacia gratiae, et enim ea solum ex divina institutione esse potest. Atqui in his testimoniis exhibetur ritus sensibilis efficax gratiae interioris, qui ritus is est quo homines in ordine hierarchico constituuntur: ergo. Prob. haec minor. Ritus esse sensibilis patet, est enim impositio manuum, quae licet multiplici ex causa in V. T. fuerit adhibita, et in N. T. quoque adhibeatur, nihil impedit quominus et pro consecratione hierarchiarum usurpetur; a forma enim determinatur: et licet non sit elementum, h. e. materia quaedam, sed actio, est tamen sen-

sibilis ritus. Eius efficacia ad gratiam sanctificantem gignendam ex his colligitur: a) ibi significatur *gratia per se permanens*, id enim docemur verbis *quae est in te licet olim data fuerit* (2. Tim. I. 6.), et eo quod possit negligi multo postquam data fuerit (1. Tim. IV. 14), et eo quod sit excitanda haec gratia, habita praesertim ratione vis verbi ἀναζωπυρειν. b) Significatur gratia virtutis, dilectionis et sobrietatis; haec enim verba v. 7. nectuntur tanquam exegesis cum verbis praecedentis: porro talis gratia permanens est *gratia sanctificans*. Ex quo et illud patet perperam Protestantes contendere heic agi tantum de gratia gratis data vel gratia officii alicuius eo quod vocetur a Paulo *χρησµα* non *χαρις*: nam 1) character, qui est gratia gratis data, significari potest, qui est effectus sacramentalis; tamen 2) spiritus virtutis dilectionis et sobrietatis σωφρονισµου castigationis scilicet et prudentiae non est gratia gratis data aut solum officii, sed est gratia sanctificans cum specialibus utique gratiis actualibus datis propter officium; quacum et potestas quaedam spiritualis cohaerere potest: *χρησµα* vero et gratiam sanctificantem significat Rom. V, 15; 1^a Corinth. XII, 31. conf. Suiceri Thesaurum ad h. v. c) Haec autem gratia tanquam immediatus effectus exhibetur externi ritus eo modo quo alibi efficacia ritus baptismi significatur: *quae est in te per impositionem manuum mearum* (2. Tim. I. 6.) quae data est tibi *cum impositione manuum mearum*. Prophetia vero, cuius 1^a Tim. IV, 14. fit mentio, nequit esse nisi conditio quaedam quae praecessit, quaeque determinaverit Paulum ad imponendas manus Timotheo. Cf. 1. Tim. I. 18. Hic tandem ritus is est quo Apostolus in ordinem hierarchicum adlegit Timotheum; qui certe episcopus erat. Sane primo spectetur uterque contextus testimoniorum quae citavimus. In 2^a Tim. I. 6. seqq. gratia quae in Timotheo esse dicitur per impositionem manuum, ideo excitanda est, ut non erubescat testimonium Domini, sed collaboret evangelio secundum virtutem Dei; hoc porro est opus proprium episcopi; ergo ea impositione manuum gratia episcopalis collata fuit. Item in 1^a Tim. IV, 11. seqq. spectatur Timotheus ab Apostolo formaliter ut Episcopus. *Praecipe, inquit, haec et doce*, quod proprium episcopi est. *Nemo adolescentiam tuam contemnat*; nulla est quidem ratio cur simplex fidelis propter adolescentiam contemnatur; sed fieri potest ut qui praeest aliis, si adolescens sit, despectui habeatur. *Sed exemplum esto fidelium, in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate. Dum venio, attende lectioni, exhortationi, doctrinae* seu magisterio, quae omnia ad episcopum spectant. *Noli negligere gratiam etc. Attende tibi et doctrinae. Hoc enim faciens et te ipsum salvum facies, et eos qui te audiunt.* Habebat scilicet discipulos Ti-

motheus eratque doctor doctrinae salutaris. Porro haec omnia exhibent nobis non communem fidelem sed qui eis auctoritate et magisterio praeest, quique episcopus dicebatur. Cum ergo in hoc contextu exhortetur Apostolus Timotheum ut non negligat gratiam quae in ipso est cum impositione manuum presbyterii, ut scilicet exsequi valeat prout par est munus suum, liquet impositionem manuum eam fuisse qua gratia episcopalis fuit illi collata.

Praeterea advertendum est quod quae uno in loco dicitur a Paulo *impositio manuum mearum*, dicitur alio in loco *impositio manuum presbyterii*. Iam vero *πρεσβυτεριον* vel significat honorem et dignitatem presbyteri, vel consessum seu coetum presbyterorum. Si primum: ergo ea impositio manuum eo spectabat ut in ordinem presbyterorum (quo episcopi quoque comprehendebantur) h. e. in ordinem hierarchicum admitteretur Timotheus: si secundum, haec impositio manuum tum Pauli tum aliorum presbyterorum simul qua gratia interior gignitur, non alia excogitari potest ab ea de qua in universa traditione mentio est. Atqui ibi praecipitur vel episcopum a duobus vel tribus episcopis manus quidem super eum tenentibus ordinari (Canon Apostol. 1 et Carthag. 2) vel presbyterum ab Episcopo ordinari manum super eum tenente simul cum aliis presbyteris (Canon Carthag. 3). Neque vero ad alium effectum (factum modo historice spectamus) plures imponentes manus requisiti unquam per se sunt quam ad ordinationem. Haec est ergo impositio manuum de qua Paulus loquitur. Et re quidem vera in locis citatis sermonem esse de impositione manuum ordinatrice testis est unanimes consensus Patrum: unde Chrysost. in 1^a Tim. IV, 14. ait: « non de presbyteris hic loquitur, sed de episcopis; neque enim presbyteri episcopum ordinabant: » ergo. Cf. Trid. Conc. Sess. XXIII, c. 3^o.

IV. Quod Scripturarum auctoritate demonstratur, idem evidentius testimonio traditionis efficitur. Certum est enim 1^o inter septem N. L. sacramenta recensitam semper fuisse sacram ordinationem; cuius antiquae et universalis traditionis testes sunt rituales libri non solum catholicorum, sed et earum sectarum quae sec. V. discessionem a catholica fecerunt. Cf. Opus Morini de sacris Ordinationibus. Constat 2^o in controversiis cum haereticis circa rem Sacramentariam sec. IV. et V. fuisse a Patribus assumptum tanquam omnibus exploratum Ordinationem esse Sacramentum; sic enim omnium nomine disputat Augustinus contra Donatianos (De baptismo cont. Donat. L. I. n. 2). « Sacramentum enim baptismi est quod habet qui baptizatur, et Sacramentum dandi baptismi est quod habet qui ordinatur. Sicut autem baptizatus, si ab unitate recesserit, sacramentum baptismi non amittit, sic etiam ordinatus, si ab unitate recesserit, sacramentum

dandi baptismi non amittit; nulli enim sacramento iniuria facienda est. . . Sicut redeuntes qui priusquam recederent baptizati sunt, non rebaptizantur, ita redeuntes qui priusquam recederent ordinati sunt, non utique rursus ordinantur; sed aut administrant, si hoc Ecclesiae utilitas postulat, aut si non administrant, Sacramentum ordinationis suae tamen gerunt, et ideo eis manus inter laicos non imponitur. » Cui conformis est disputatio Hieronymi adv. Luciferianos, cuius argumentatio ad hominem huc redit: si recipitur laicus baptizatus in haeresi, etiam Episcopus ordinatus in haeresi vel qui haereticus fuerit recipiendus est. « Si in fide sua (h. e. communione baptizantis) baptizato baptizans nocere non potuit, et in fide sua sacerdotem constitutum constituens non inquinavit » n. 11. Constat 3^o quod in his quoque iam continetur, creditum esse per benedictionem ordinationis sanctificari homines: id teneri tanquam certum ponit Innocentius I epist. ad Rufum n. 8; dari per ordinationem Spiritum S. ita ut eius gratia in melius anima transformetur (Nyssenus Oration. in bapt. Christi), foveaturque caritate Patris habitu et virtute sacerdotali locupletata (Dionys. H. E. c. 5); gratiamque accipiat ut praesit Ecclesiae, spiritumque virtutis et caritatis (Chrys. in 2. Tim. hom. 1^o), et per impositionem manuum donetur Spiritus qui ignis instar venit super Apostolos, ac in homine potestas ineffabilis habitet (S. Ephraem De Sacerdotio). Idemque evincit consensus utriusque partis disputantis in controversia donatiana; per ordinationem scilicet Spiritum S. dari, unde negabant Donatiani posse extra Ecclesiam ordines conferri, et ideo ordinationem Caeciliani improbabant.

V. Iam vero sacramentum ordinationis imprimit characterem. Sane doctrina catholica de characterem quorundam Sacramentorum, qui est consecratio quaedam permanens distincta a gratia sanctificante, quae ideo et ab iis accipi potest qui Spiritum sanctificantem non accipiunt; doctrina, inquam, catholica de hac re explicata est sec. V. in controversia donatiana, et ab Augustino declarata et defensa totius veluti Ecclesiae nomine: in qua controversia antiquam traditionem fuisse propugnatam ex eo liquet quod Augustini doctrina non est nisi distinctior explicatio, atque ut talis semper habita fuit, doctrinae tum affirmantis extra Ecclesiae unitatem quoque et ideo quin caritas infundatur, sacramenta quaedam conferri posse, tum negantis eadem posse repeti; quae doctrina communior erat aetate quoque Cypriani, ac postea sub finem seculi IV evasit inter catholicos communis omni dubitatione semota.

Atqui de sacramento ordinationis haec tanquam omnibus rata et fixa affirmat Augustinus: ipsum in iis, qui haeretici deinceps fiant aut schismatici aut impii, manere, ab iisdem valide exerceri, aliis-

que conferri, ideoque repeti non posse in iis tum qui in catholica ordinati ab ea postea defecerint, tum qui ab huiusmodi desertoribus ordinati fuerint, non ex eo tantum quod illicita sit quia prohibita haec repetitio, sed propter rationem petitam ex rei natura, quia nempe sacramentum manet, quod quadam consecratione datur. Quae quidem consecratio ex vi ipsius sacramenti procedens est de iure divino. « Utrumque enim (Baptismus et Ordinatio) sacramentum est, et quadam consecratione utrumque homini datur, illud cum baptizatur, istud cum ordinatur; ideoque in catholica utrumque non licet iterari » (cont. epist. Parmeniani L. H. n. 28). Unde qui in catholica ordinati sunt, si post factum schisma ad eam redierunt « non sunt rursus ordinati; sed sicut baptismus in eis, ita ordinatio mansit integra: quia in praecisione fuerat vitium, quod unitatis pace correctum est, non in Sacramentis, quae ubicumque sunt, ipsa sunt » (ibid.). Et quoad illos qui ab Ecclesiae unitate divisi sacramentum ordinationis extra ipsam acceperunt, pariter docet Augustinus quod « sicut redeunti non redditur quod foris habebat, sic venienti non repetendum est quod etiam foris acceperat » (ibid. n. 30). Manet scilicet supernaturalis quaedam et sacra potestas quae vi ordinationis independenter a sanctitate ministri et suscipientis confertur a Spiritu S. quae res permanens ideo diversa est ab ea quae post contractum matrimonium manet. In hoc enim manet vinculum h. e. mutuum ius et mutua obligatio quae per se ex contractu originem habent, et ad actum per se naturalem ordinantur: quoad sacramentum vero ordinationis manet potestas indita a Spiritu S. per se supernaturalis sacramenta quaedam conficiendi, ut confirmandi, consecrandi, ordinandi etc. quae ab Augustino *ius dandi sacramentum* appellatur: « nulla enim, ait, ostenditur causa cur ille qui ipsum baptismum amittere non potest, *ius dandi* potest amittere » (l. s. c. n. 28). Atqui consecratio qua citra gratiam quoque sanctificantem inditur vi sacramenti a Spiritu S. potestas supernaturalis conficiendi sacramenta, eademque vi eiusdem sacramenti permanens, quae proinde prohibet ne iteretur sacramentum, est character: ergo. Quocirca non probamus characteris impressionem ex eo solum quod ordinatio nequeat repeti: nam generatim quod quadam consecratione datur, etsi ea sit institutionis ecclesiasticae, haud repetitur, ut consecrationes altarium, templorum, virginum, abbatum: sed ex eo probamus quod ordinatio talis sit consecratio qua confertur supernaturalis potestas, quae iuris divini est quippe quae est ad conficienda sacramenta, quae a solo Deo esse potest, atque potestas manens iure divino; manet enim eo ipso quod vi sacramenti ordinationis collata est, ita ut fieret iniuria sacramento si ipsum repeteretur (cf. verba Augustini in praeced.

§. citata). Talis enim consecratio est character proprie dictus. Cf. S. Thomam I. p. q. LXIII. a. 2.

Hinc Ecclesiae praxis recipiendi venientes ab haeresi vel schismate tum a se prius ordinatos tum ibidem ordinatos debito quidem modo, permissione iisdem plerumque facta exercendi ordines, absque iteratione Sacramenti, imo improbata et prohibita hac iteratione. Testes huius perennis praxis et doctrinae est iudicium Melchiadis in causa Donati (Optat. L. I. n. 24), Nicaena Synodus c. 8. (1), Syno-

(1) Sensus canonis nicaeni in textu graeco quem habemus hic est: De his qui se nominant catharos, si veniant ad Ecclesiam catholicam, placuit sanctae et magnae synodo ut tanquam ipsi impositionem manuum assecuti sic maneant in clero *ὡστε χειροθετούμενους αὐτοὺς οὕτω μείναι ἐν τῷ κληρῷ*. Agebatur enim quaestio non utrum tanquam valida probanda esset ordinatio Novatianorum, sed hoc supposito, utrum ordinati penes ipsos cum redirent recipiendi essent cum eodem honore ad communionem scilicet sacerdotalem. Plerumque enim episcopi haeretici, cum redirent, recipiebantur quidem, sed ad communionem laicam, vel inferioris ordinis. Nicaeni vero Patres statuerunt mitius agendum cum Novatianis, quemadmodum deinceps in Alexandrina Synodo statutum est ab Athanasio pro episcopis arianis, qui non fuissent duces haeticorum, atque in conc. oecumenico VII Act. 1 pro aliis episcopis haeticis. Huiusmodi decretum nicaenum supponit evidentem ordinationem in schismate acceptam validam esse; nam non praecipit rursus ordinari, at *tanquam iam ordinatos sic iubet manere in clero*. Cf. et can. 19. Versio vero latina illius canonis penes Innocentium I epist. decretali ad Rufum n. 10 sic habet: *placuit ut impositionem manus accipientes sic maneant in clero*. At nulla est realis oppositio. Haec enim impositio manus, de qua Innocentius loquitur, non est sacramentalis, sed reconciliatoria quae redeuntibus ad unitatem adhibebatur.

Neque difficultas exinde petatur quod per talem impositionem manus diceretur accipi Spiritus S. ut loquitur S. Leo epist. 85: « quod si, inquit, ab haeticis baptizatum quempiam fuisse constiterit, erga hunc nullatenus Sacramentum regenerationis iteretur, sed hoc tantum quod ibi defuit conferatur, et per episcopalis manus impositionem virtutem Spiritus S. consequatur. » Ex quibus verbis quis forte suspicari posset non agnatum tunc fuisse a catholicis penes haeticos sacramentum confirmationis aut eius characterem, et sic incertam esse doctrinam de characterem qui tribus sacramentis ex aequo asseritur. Verum S. Leo loquitur de impositione manus tantum reconciliatoria: eiusque sententia huc redit: in haeresi quidem baptismus suscipi potest, sed non suscipitur utiliter, h. e. sine gratia suscipitur: haec autem gratia sacramenti tunc iis confertur cum ad unitatem redeunt: quia ergo unitati Ecclesiae adiungebantur impositione manus episcopi, tunc dicebantur consequi Spiritum S. Hanc interpretationem suppeditat Augustinus L. III de Baptis. c. 16 « Spiritus S. quod in sola catholica per manus impositionem dari dicitur, nimirum hoc intelligi Maiores nostri voluerunt quod Apostolus ait: quoniam caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis..... Non enim habent Dei caritatem qui Ecclesiae non diligunt unitatem. Ac per hoc recte intelligitur dici non accipi nisi in catholica Spiritus S. » Quocirca ex hac consuetudine Ecclesiae perperam Cyprianus epist. ad Magnum argumentum petebat quo adversarios quos refelleret, ac si ipsi censerent iterandum esse sacramentum confirmationis. Cf. Dissertationem Natalis Alexandri De Sacramento confirmationis.

us Alexandrina 1^a sub Athanasio de lapsis recipiendis, Capuana Synodus in causa Bonosi, Innocentius I. epist. 17^a ad Rufum n. 9. 10. seqq. et ep. 16. ad Marcianum; Anastasius II. in causa Acaciana epist. 1^a ad Anastasium Augustum nn. 7. 8. Gregorius M. L. II. epist. 32. In quibus testimoniis illud est praecipue advertendum, quod comparatio instituitur plerumque explicite, et ideo alibi quoque intelligenda, inter Baptismum et Ordinationem, ut eadem ratione neutrum sacramentum fas sit repetere. Idem evincit oeconomia adhibita ab Ecclesia Romana cum Ecclesiis Orientis cum redintegrata fuit unitas, qua de re cf. Morinum de Sacris Ordinationibus P. I: tandem definitio Eugenii IV in Instructione pro Armenis, et Tridentina Sess. VII, c. 9. in quibus ratio non iterandi ex characterem petitur.

Quoad controversias autem subinde obortas circa quorundam illegitimas ordinationes, de quibus dici solebat quod *sic ordinati nihil accipere potuerunt, quia ordinatores eorum nihil habuerunt dare*, satis sit advertere sensum Ecclesiae non ex dictis huius vel illius Scriptoris sed ex communi ac constanti praxi et sententiis testium et doctorum authenticorum eam praxim explicantibus petendum esse. Licet ergo existerint quidam qui aetatibus etiam subsequentibus videntur dubitasse aut aestu disputationis abrepti negasse validitatem ordinationum penes haeticos, ut Humbertus Cardinalis Silvae Candidae in lib. I. adv. Simoniacos sec. XI.; his tamen semper praxi sua obstitit Ecclesia, neque ullam aliam suae praxis rationem reddidit quam fidem characteris. Imo eodem sec. XI. qui penitius Maiorum traditionem Ecclesiaeque sensum investigavit Bernardus presbyter *de sacramentis excommunicatorum* (Migne P. L. v. 148 p. 1061) collatis sententiis Patrum concludebat sanctos Patres nobis communiter dicere: « extra Ecclesiam nec sunt nec fiunt sacramenta *effective*, id est cum salute animae, attamen eadem inutiliter, imo perniciose et esse et fieri non denegamus. Si enim ea extra Ecclesiam esse vel fieri penitus denegarent, nullatenus eadem in reconciliatis rata haberent. » Quo sensu Nicolaus II eodem seculo inter decreta eidem tributa (Mansi Concc. T. XIX. p. 875) praecipit decr. 9. ut scienter ordinati a Simoniacis sciant se non esse ordinatos. Scilicet carent honore et iure; quemadmodum ibid. decr. 3^o edicit ut presbyteri coniugati qui nolunt uxores dimittere, Ecclesiam cum ordinibus suis amittant. Quocirca illa ratio loquendi quae antiquitus quoque usurpata fuit atque ab iis qui ordinationes extra Ecclesiam susceptas non iterabant, eo spectabat ut negaret hominibus sic ordinatis *honorem sacerdotii* (Innocentius I epist. decretali ad Rufum n. 7. « e contra asseritur eum qui honorem amisit honorem dare

non posse, nec illum aliquid accepisse quia nihil in dante erat quod ille posset accipere. Acquiescimus et verum est. Certe quia quod non habuit dare non potuit, damnationem utique quam habuit per pravam manus impositionem dedit: at qui comparticeps factus est damnationis quomodo debeat honorem accipere invenire non possumus ») iisque ius acquisitum esse exercendi ordinis plebemque christianam regendi; idemque ius negabatur iis concedendum esse cum ad catholicam reverterentur nisi certis existentibus conditionibus, quemadmodum statuit idem Innocentius I, quibus existentibus recipere ad honorem sacerdotii sine ulla sacramenti iteratione. Nec audiendus hac in re Morinus op. cit. P. III. Exercit. 5. Cf. Tournely de Sacr. Ordinis q. VI.

Ritum ordinationis iterandum non esse suaderi potest auctoritate Scripturarum ex eo quod hortetur Apostolus episcopum ut gratiam quam obtinuit excitet operibus suis, non vero iterationem eiusdem ritus proponat.

Itaque ordinatio eo spectat ut 1° intrinsece hominem Deo consecret ea consecratione qua idoneus et potens perenniter existat actiones quasdam sacras et sacramentales peragendi, ut 2° rite dispositum gratia sanctificante opportunisque actualibus auxiliis augeat consecratum. Quocirca ordinem scholastici definiebant *signaculum quoddam* (signum exterius) *Ecclesiae, quo spiritualis potestas traditur ordinato*. Cf. S. Thom. Supplem. q. XXXIV. a. 2°. Recte autem Suarez de Sacramen. D. XI. Sect. 4° monet ordinationis effectum primarium seu primo intentum esse characterem; eo enim ipsa per se spectat ut ministros sacrorum sacerdotesque constituat: gratia vero confertur ut rite ministerium exercentur.

§. XIV.

Traditione autem christiana certum est duplicem iure divino ordinem esse Episcoporum et Presbyterorum, atque his esse illos iure divino superiores: ritus autem sacer quo initiatur Episcopus sacramentum est distinctum ab eo sacramento quo initiatur Presbyter.

I. Distinctioni duplicis ordinis quam universa traditio evidenter testatur, obstare videtur ratio loquendi N. T. penes quod iidem videntur esse episcopi qui presbyteri; quod et Hieronymus (in comm. epist. ad Tit. c. 1. et in epist. CXLVI ad Evangelium - Petavius aliique legunt *ad Evagrium* -) ac Chrysostomus (in epist. ad Philipp. c. 1) adverterunt; qua de re haec teneantur. In N. T. nunquam occurrit mentio ministrorum sacrorum novae legis sub nomine sacer-

dotum: nam *ιερευς*; tunc intelligebantur ex usu loquendi sacerdotes veteris legis: mentio tamen fit sacrificii 1° Cor. X. 16-21: coll. XI, 23. Sacerdotis autem nomine primis Ecclesiae seculis veniebat praecipue Episcopus.

In N. T. occurrunt nomina *Episcopus, Presbyter, Presbyterium, Diaconus*. Episcopus (ex usu profano *inspector cum iurisdictione* cf. Petavius de E. H. L. II. c. 5) est in N. T. qui praeest, qui Ecclesiam regit, qui manus imponit, qui presbyteros iudicat, qui depositum fidei custodit (Tit. I, 5. 1° Tim. V, 1. 7. 19. 22; VI, 20: 2° Tim. II, 2; IV, 2. Act. XX, 28.).

Presbyterorum nomine veniunt et ii qui erant Episcopi (Tit. I, 5. Act. XX, 17-28; 1° Pet. V, 1. 2.). At veniunt et illi qui Episcopo subsunt. Nam 1. Tim. V. 19. praecipit Timotheo Apostolus ne recipiat accusationem adversus presbyterum nisi sub duobus vel tribus testibus; Episcopus ergo eos presbyteros iudicabat.

Presbyter nomen est dignitatis et officii, liquet ex locis citatis: pariterque se habet ac in T. V. קֹהֵן (Exod. III, 16; IV, 29; Deut. XIX, 12. XXI, 3. 6; XXII, 15-18). An semper sit nomen dignitatis dubitare licet ex 1. Tim. V, 1.

Presbyterium est per se consessus presbyterorum, et etiam episcoporum si qui presbyteri vocantur sint episcopi. Cf. epist. Cornelii R. P. ad Fabium Antioch. penes Euseb. (H. E. L. VIII, c. 43).

Quoniam constat in N. T. easdem personas, non quidem semper, dici simul episcopos et presbyteros (non constat autem eum qui fuerit secundi ordinis tantum sacerdos quem nos modo presbyterum nominamus, vocatum fuisse episcopum), quaestio est inter eruditos an haec duo nomina in T. N. significant dignitates duas duoque munera differentia, materialiter tantum propter idem subiectum convenientia, an significant idem formaliter ut omnis distinctio sit penes nomina. Hoc alterum potest duplici modo affirmari. Nimirum vel dicis nomen presbyteri prius generice usurpatum fuisse ad designandum munus quodvis sacerdotale cum iurisdictione, postea in Ecclesia evasisse nomen specificum pro certo ordine. Vel dicis nomen presbyteri habere in N. T. eandem prorsus specificam significationem quam nunc obtinet. Si primum dicis, licet affirmare in T. N. presbyteri appellationem designare illud idem quod episcopi, quin exinde inferre liceat eundem esse ordinem presbyteratum et episcopatum; at si alterum dicis, unum simul asseris fuisse ordinem sacerdotalem. S. Epiphanius (haeres. LXXV) censuit presbyteros et episcopos in libris N. T. diversas esse personas, differenti instructas dignitate; Apostoli scilicet in quadam civitate episcopos et diaconos, in alia presbyteros solum et diaconos instituebant prout idoneos reperiebant,